



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Commentaria et disputationes scholastica in Summam D.
Thomae Aquinatis**

Nazarius, Johannes P.

Coloniae, 1621

Articvlvs III. Vtrum vnio Verbi incarnati facta sit in supposito, vel hypostasi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82325](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82325)

rationalis naturæ indiuidua substantia secundum A Boetium.

Secundo ad explicationem tituli declarat Sanctus Doctor, quid sit vniri in persona dicens; omne quod inest alicui personæ siue pertineat ad naturam eius siue non, vniri ei in persona.

CONCLUSIO respondens quæsito est: Vnio facta est in persona Verbi, non autem in natura. Probatur: quia verbum habet naturam humanam sibi unitam, non autem ad sui naturam pertinentem; ergo. Antecedens est de fide. Consequentia probatur: quia si humana natura Verbo Dei non vnitur in persona, nullo modo ei vnitur, & sic totaliter tollitur Incarnationis fides, quod est subuertere totam fidem Christianam: assumptum fundatur in illa maxima seu principio; omne quod inest alicui personæ, siue pertineat ad naturam eius siue non, vnitur ei in persona.

Expositio Textus.

AD Huius articuli intelligentiam multa sunt hic breuiter indicanda. Primum est, quid personæ & naturæ vocibus sit intelligendum; quod explicat optimè Caietanus. Secundum est, quæ differentia realis sit inter creatum suppositum & eius naturam. Tertium est, An differentia quæ hic statuit S. D. inter suppositum & naturam, habeat locum in Angelis. Quartum quid addat suppositum supra naturam; de quibus agit hic breuiter Caietanus, sed vberius infra q. 4. a. 2. nos autem in 1. p. q. 50. a. 2. Contr. 3. latissime disputauimus. Quintum an verum sit quod ait hic S. D. nimirum in Deo nihil aliud esse præter rationem speciei vel naturæ suæ, quod breuiter hic explicat Caiet. Nos de hoc amplissimam instituiamus Contr. in 1. p. q. 28. a. 1. Sextum est sensus & veritas illius principij: Omne, quod inest alicui personæ, siue pertineat ad naturam eius, siue non, vnitur ei in persona: quod explicat Caiet. & Med. Septimum est vis consequentiæ ex eodem principio deductæ in probatione Conclusionis, de qua differit hic breuiter Cai. & post eum Med. & Suar. Octauum est fundamentum, cui totus innititur processus D. Th. distinctio scilicet vnionis Incarnationis in vnionem in natura & vnionem in persona: quæ non videtur sufficiens; quia fieri posset vnio in hoc Deo communi Patri & Filio & Spiritui sancto, qui tamen non est persona neq; natura formaliter loquendo: Cui dubitationi satisfacit eruditè Caietanus in postrema parte Commentarij, & post eum Med. Nos de hoc Deo tribus personis communitatè disputauimus, 1. p. q. 39. a. 4. Contr. prima. Nonum est hæresis ponentium in Christo duas personas, quam refert & impugnat accuratè S. Doctor in 4. contr. gent. c. 34. & 41. & post eum Med. Porrecta, Suar. Val. p. 2. Vafq. & Aluar. super hoc art. & Bellar. libro 3. de Incarn. cap. 7. & seq. Decimum complectitur responsiones ad arg. D. Th. quas hic explicat eruditè Cai. Med. & Suar. Vndecimum est sensus Conclusionis; nam vt ait S. Doctor, q. de vnione Verbi incarnati a. 1. ad 8. Persona Filij Dei dupliciter potest considerari: vno modo secundum comunem rationem personæ, prout significat quoddam subsistens; & secundum hoc vnio facta est in persona secundum rationem personæ; alio modo potest in persona filij considerari id, quod est proprium personæ Filij, scilicet relatio, quæ refertur ad Patrem: & secundum huius relationis rationem non consideratur vnio duarum naturarum. Hæc ibi D. Th. quibus nihil aliud intendit, nisi Verbi personalitatem non terminare naturam humanam, prout ipsa personalitas exercet rationem relationis, sed prout est subsistentia, pro-

pria tamen filij, alioquin Christus vt homo referetur ad Patrem vt eius filius naturalis: appellat autem illam communem rationem personæ; quia persona vt sic dicit subsistens in rationali natura; nõ autem dicit relationem Patris vel Filij &c. noluit tamen S. D. indiuiduationem subsistentiæ Verbi, quæ est per relationem, vt conditionem excludere, sed propriam terminandi rationem significauit. Vltimum est hæresis Vbi-quistarum, quam latissime confutat Val. p. m. c. 3. & Bellar. To. 1. 1. 3. de Christo cap. 11. & seq.

ARTICVLVS III.

B Virum vnio Verbi incarnati facta sit in supposito, vel hypostasi.

AD Tertium sic proceditur. Videtur quod vnio Verbi incarnati non sit facta in supposito siue in hypostasi. Dicit enim Au. in Ench. Diuina substantia, & humana vtraque est vnus Dei filius, sed aliud propter Verbum, & aliud propter hominem. Leo Papa etiam dicit in Epistola ad Flavianum, vnium hominum coruscant miraculis: aliud succumbit iniurijs. Sed aliud, & aliud differt supposito: ergo vnio Verbi incarnati non est facta in supposito.

Præterea, hypostasis nihil aliud est, quam substantia particularis, vt Boet. dicit in libro de duab. nat. Manifestum est autem, quod in Christo est quadam alia substantia particularis præter hypostasim Verbi, scilicet corpus, & anima, & compositum ex eis. Ergo in ipso est alia hypostasis præter hypostasim Verbi.

Præterea, Hypostasis Verbi non continetur in aliquo genere, neque sub specie, vt patet ex his, quæ in prima Parte dicta sunt. Sed Christus, secundum, quod est factus homo, continetur sub specie humana: dicit enim Dionys. 1. c. de Diu. no. Intra naturam nostram terminos venit, qui omnem totius naturæ ordinem supereminet excedit. Non autem continetur sub specie humana, nisi sicut hypostasis quadam humane speciei. Ergo in Christo est alia hypostasis præter hypostasim Verbi Dei. Et sic idem, quod prius.

Sed contra est quod Damasc. dicit in tertio lib. In domino Iesu Christo duas naturas cognoscimus vniam autem hypostasim.

Respondeo dicendum, quod quidam ignorantes habitudinem hypostasis ad personam, licet concederent in Christo vniam solam personam, posuerunt tamen aliam hypostasim Dei & aliam hominis, ac si vnio sit facta in persona, non in hypostasi.

Quod quidem apparet erroneum tripliciter. Primo, ex hoc, quod persona super hypostasim non addit nisi determinatam naturam scilicet rationalem, secundum, quod Boetius dicit in libro de duab. nat. quod persona est rationalis natura indiuidua substantia, & ideo idem est attribuire propriam hypostasim humane naturæ in Christo, & propriam personam. Quod intelligi-

gentes sancti Patres, virumque in Concilio quinto apud Constantinopolim celebrato damnauerunt, dicentes: Si quis introducere conetur in mysterio Christi duas subsistentias, seu duas personas, anathema sit: nec enim abiectio personæ, vel subsistentiæ suscepit sancta Trinitas, incarnato vno de sancta Trinitate Deo Verbo. Subsistentia autem idem est, quod res subsistens, quod est proprium hypostasis, vt patet per Boetium in libro de duabus naturis. Secundo, quia si dicitur, quod persona aliquid addat super hypostasim, in quo posuit vnio fieri, hoc nihil aliud est, quam proprietates ad dignitatem pertinentes; secundum, quod a quibusdam dicitur, quod persona est hypostasis proprietate distincta, ad dignitatem pertinete. Si ergo facta sit vnio in persona, & non in hypostasi, consequens erit, quod non facta sit vnio,

In Ephef. approbante synodo Ephesina damnatum à Cyrillo sub
syn. 1. can. his verbis: Si quis in vno Christo diuidit subsistentias
3. 10. 1. con- post adunationem sola copulans eas coniunctione,
cil. quæ secundum dignitatem quandam, vel autorita-
tem est, vel secundum potentiam, & non magis
concursum secundum adunationem naturalem: ana-
thema sit. Tertiò, quia tantum hypostasis est, cui
attribuuntur operationes, & proprietates nature, &
ecce tiam, quæ ad naturæ rationem pertinent in con-
creto: dicimus enim, quod hic homo ratiocinatur, &
est visibilis, & est animal rationale. Et hac ratione
hic homo dicitur esse suppositum: quia scilicet supponi-
tur his, quæ ad hominem pertinent, eorum prædicationem
recipiens. Si ergo sit alia hypostasis in Christo præ-
ter hypostasis Verbi, sequitur, quod de aliquo alio, quæ
de verbo, verificentur ea, quæ sunt hominis, puta esse
naturæ de Virgine passum, crucifixum, & sepultum.

In Ephef. Et hoc etiam damnatum est approbante concilio Eph.
syn. 1. can. sub his verbis: Si quis personis duabus, vel subsistentiis
4. 10. 1. con- eas, quæ sunt in Euangelicis, & Apostolicis scripturis,
cil. impartitur voces, aut de Christo à Sanctis dictas, aut
ab ipso de se: quædam quidem velut homini præter
illud ex Deo Verbum specialiter intellecto applicat, quæ-
dam verò velut Deo decibiles, soli ex Deo patre
Verbo, anathema sit. Sic ergo patet esse heresim olim
ab Ecclesia damnatam, dicere, quod in Christo sunt
duæ hypostases, vel duo supposita: siue quod vnio non
sit facta in hypostasi, vel supposito. Vnde in eadem sy-
nodo legitur. Si quis non confitetur carni secundum sub-
sistentiam vnitum ex Deo patre Verbum, vnumque ef-
se Christum cum sua carne eundem, scilicet Deum, &
hominem, anathema sit.

In cano 2. Ad primum ergo dicendum, quod sicut accidentia
Eph. 1. sy- differuntia facit alterum, ita differentia essentialis
nod. que facit alterum. Manifestum est autem, quod alteritas,
4. 10. 1. con- quæ prominet ex differentia accidentalibus, potest ad ean-
cil. dem hypostasis, vel suppositum pertinere in rebus crea-
tis: eo quod idem numero potest diuersis accidentibus
subesse: non autem contingit in rebus creatis, quod
idem numero subsistere possit diuersis essentiis, vel na-
turis, sed vnus & idem Christus subsistit in duabus natu-
ris. Vnde sicut, quod dicitur alterum, & alterum in
creaturis, non significat diuersitatem suppositi, sed so-
lum diuersitatem formarum accidentalium: ita quod
dicitur Christus aliud, & aliud, non importat diuersi-
tatem suppositi, vel hypostasis, sed diuersitatem na-
turarum. Vnde Gregorius Nazianzenus dicit in episto-
la ad Didymum, Aliud, & aliud sunt ea, ex quibus Sal-
uator est, non autem alius, & alius: dico verò aliud, &
aliud è contrario, quam in Trinitate habet ibi enim
Alius, & alius dicimus, vt non subsistentias confunda-
mus, non autem Aliud, & aliud.

In Ephef. Ad secundum dicendum, quod hypostasis significat
und. Celi. in- substantiam particularem, non quocunque modo, sed
ter prin. ex prout est in suo complemento. Secundum verò, quod
med. inci- venit in vnionem alicuius magis completi, non dicitur
pit. bouer- hypostasis, sicut manus, vel pes: Et similiter humana
dicit. natura in Christo, quamuis sit substantia particularis:
quia tamen venit in vnionem cuiusdam completi, sci-
licet totius Christi, prout est Deus, & homo, non po-
test dici hypostasis, vel suppositum. Sed illud completum,
ad quod concurrunt, dicitur esse hypostasis, vel suppo-
situm.

Ad tertium dicendum, quod in rebus creatis res a-
liqua singularis non ponitur in genere vel in specie ra-
tione eius, quod pertinet ad eius indiuiduationem: sed
ratione nature, quæ secundum formam determina-
tur: cum indiuiduatio magis sit secundum materias in
rebus compositis. Sic ergo dicendum est, quod Christus est
in specie humana ratione nature assumptæ, non ratio-
ne ipsius hypostasis.

Sensus, & Ratio quæsti.

NOMINA suppositi, & hypostasis explicat
hic optimè Cai. rationem etiam afferens
huius quæsti ex littera D. T.

Forma Textus.

RELATO quorundam errore, statuit op-
positam illi Conclusionem, quam probat
tribus argumentis.

Error fuit quorundam ignorantium habitu-
dinem hypostasis ad personam: qui licet conce-
derent in Christo vnā solam personam, posu-
erunt tamen aliam hypostasis Dei & aliam ho-
minis, ac proinde dicebant vnionē esse factam in
persona, non autem in hypostasi.

CONCL. est: Heresim est olim ab Ecclesia damna-
ta, dicere quod in Christo sint duæ hypostases, vel duo
supposita, siue, quod vnio non sit facta in hypostasi vel
supposito: Probatur tripliciter: primò; idem est at-
tribuire propriam hypostasis humanæ nature
in Christo, & propriam personam; ergò. Ante-
cedens probatur. Primo; quia persona super hy-
postasis non addit, nisi determinatam naturam
scilicet rationalem, vt ait Boetius in libro de dua-
bus naturis dicens, quod persona est rationalis na-
ture indiuidua substantia. Secundò probatur i-
dem antecedens & ipsa Conclusio; quia Synodus
quinta Constantinopolitana damnat, non solum
eos qui duas affirmant in Christo personas, sed
etiam eos qui duas in eo dicunt esse subsistēti-
as; at subsistētia idem est quod res subsistens, quod
est proprium hypostasis; ergò. Minor patet ex
Boetio in libro de duabus naturis. Secundò probatur
conclusio; quia si facta est vnio in persona & non
in hypostasi sequitur, quod non sit facta vnio,
nisi secundum dignitatem quandam; at conse-
quens est falsum; ergò & antecedens. Consequē-
tia probatur: quia si detur quod persona aliquid
addat super hypostasis, in quo possit vnio fieri:
hoc nihil aliud est quam proprietas ad dignita-
tem pertinens; ergò. Probatur hoc assumptum:

quoniam à quibusdam dicitur, quod persona est
hypostasis proprietate distincta ad dignitatem
pertinente: falsitas autem consequentis probatur
authoritate Cyrilli, & Synodi Ephesinæ, vt pa-
tet in textu. Tertiò probatur Concl. Quia si alia sit
hypostasis in Christo præter hypostasis Verbi,
sequitur quod de aliquo alio, quam de Verbo
verificentur ea, quæ sunt hominis; puta esse natū
de Virgine passum crucifixum & sepultū; at cō-
sequens est falsum; igitur & antecedens. Consequē-
tia probatur: quia sola hypostasis est, cui attri-
buuntur operationes & proprietates nature, & ea
quæ ad naturæ rationē pertinet in cōcreto; ergò,
si alia sit hypostasis &c. Probatur hoc assūptū pri-
mò: quia dicim⁹ quod hic homo ratiocinatur &
est visibilis & est animal rationale. Secūdo: quia
hac ratione hic homo dicitur esse suppositū: quia
scilicet supponitur his, quæ ad hominē pertinet
eorū prædicationem recipiens. Falsitas verò cō-
sequentis probatur authoritate Cōcilij Ephesi-
ni. Et confirmatur etiā Conclusio ex eodē Con-
cilio Can. secundo, Si quis non confitetur, &c.

Expositio Textus.

DE MATERIA præsentis articuli latè dis-
putat S. D. in questionibus disputatis, q. de v-
nionē Verbi incarnati art. 2. & in 3. dist. 6. quæst.
1. artic. 1. Vide etiam, quæ de sensu, & ve-
ritate Conclusionis scribunt Medina in in suo
Com.

Comment. Suar. disp. 7. sect. 3. Vasq. disput. 15. Aluar. disp. 11. & ea, quæ circa responsiones argumentorum notat. Med. Porrecta & Suar. qui circa respons. secundum ait si loquantur de vera personali dignitate, quæ substantialis est & intrinseca, sic verè dici posse vnionem hanc esse factam secundum quandam dignitatem: quod probat; quia per illam eleuata est humana natura ad subsistere in persona Verbi: subsistere autem in digniori personâ ad perfectionem & dignitatem naturæ humanæ pertinet; ergo, &c. Cuius doctrinæ salûtas perspicua est ex ijs, quæ contra eundem auctorem diximus in 1. p. q. 28. a. 2. Contro. 2. & 9. 29. a. 3. & ex D. Th. in eodẽ libro, q. 42. a. 4. ad 2. Vbi sic loquitur: Paternitas est dignitas Patris, sicut, & essentia Patris; nam dignitas est absoluta, & ad essentiam pertinet, &c. Quod etiam ibidem explicat Bannes. Non itaq; verè dici potest, vnionem Incarnationis factam fuisse secundum substantialem dignitatem; sicut nec affirmari verè potest vnionem hanc fuisse factam, secundum essentiam aut secundum absolutam Verbi perfectionem. Ad probationem autem negatur consequentia, quamuis enim subsistere in persona Verbi ad perfectionem & dignitatem pertineat humanæ naturæ: quia scilicet nobilissima personalitate terminatur; non tamẽ inde fit consequens verè dici posse, vnionem hanc esse factam secundum substantialem dignitatem, sed tantum sequitur eam esse factam secundum personam habentem maximam substantialem dignitatem, vel maximæ dignitatis substantialis; sicut rectè dici potest, vnionem hanc factam fuisse secundum personam habentem essentiam, sapientiam, bonitatem, & potentiam infinitam, vel secundum personam essentiali, sapientiæ, potentie & bonitatis infinitæ, & hoc ad perfectionem & dignitatem naturæ humanæ pertinere.

S. Thom.

Ad plenam huius articuli intelligentiam videnda sunt, quæ docet S. Th. in 1. p. q. 29. a. 2. de nominibus personæ, hypostasis, subsistentiæ &c. & ea quæ ibi notauimus post alios expositores. Vide etiam ea, quæ scribit S. D. in 4. contr. gent. c. 39. de hæresi Theodori & Nestorij; de qua etiam agit Ambr. in libro de mysterio Incar. c. 6. Et Concilium primum Constantin. act. 4.

Ambros.

ARTICVLVS IIII.

Verum persona, vel hypostasis Christi post incarnationem sit composita.

3. dist. 6.
2. art. 3.

AD quartum sic proceditur. Videtur, quod persona Christi non sit composita. Persona enim Christi non est aliud, quam persona, vel hypostasis Verbi. vt ex dictis patet. Sed in Verbo non est aliud persona, & natura, vt patet ex dictis in prima parte. Cum ergo natura Verbi sit simplex (vt in primo ostensum est impossibile est, quod persona Christi sit composita).

Art. 2.
P. p. q. 3. a.
7. & per
101. quest.

Præterea, Omnis compositio videtur esse ex partibus. Sed diuina natura non potest habere rationem partis: quia omnis pars habet rationem imperfecti. Ergo impossibile est, quod persona Christi sit composita ex duabus naturis.

Præterea, Quod componitur ex aliquibus, videtur esse homogeneum eis, sicut ex corporibus non componitur nisi corpus. Si ergo ex duabus naturis aliquid sit in Christo compositum, consequens erit, quod illud non erit persona, sed natura: & sic in Christo erit facta vnio in natura: quod est contra prædicta.

A Sed contra est quod Damasc. dicit tertio lib. In Art. 1. domino Iesu Christo duas naturas cognoscimus, vnã autem hypostasin ex vtrâque compositam.

Respondet dicendum, quod persona, siue hypostasis Christi dupliciter potest considerari. Vno modo secundum illud, quod est in se: & sic est omnino simplex, sicut, & natura Verbi. Alio modo secundum rationem personæ, vel hypostasis: ad quam pertinet subsistere in aliqua natura, & secundum hoc persona Christi subsistit in duabus naturis. Vnde licet sit ibi vnum subsistens, est tamen ibi alia, & alia ratio subsistendi, & sic dicitur persona composita, inquantum vnum duobus subsistit.

B Et per hoc patet responsio ad primum.

Ad secundum dicendum, quod illa compositio personæ ex naturis, non dicitur esse ratione partium, sed potius ratione numeri: sicut omne illud, in quo duo conueniunt, potest dici ex eis compositum.

Ad tertium dicendum, quod non in omni compositione hoc verificatur, quod illud, quod componitur, sit homogeneum componentibus, sed solum in partibus continui: Nam continuum non componitur nisi ex cõtinuis: animal verò componitur ex anima, & corpore: quorum neutrum est animal.

Ratio, & sensus quaesiti.

OCcasione huius quaesiti præbuerunt multa S. S. Patrum & antiquorum doctorum & Consiliorum dicta & loquendi modi, quos referunt Med. & Porrecta super hoc articulo Suar. disp. 7. sect. 4. Val. puncto 4. Vasq. disp. 16. c. 2. & Aluar. disp. 12. & sermo est de compositione simpliciter dicta abstrahendo à substantiali & accidentali, & vt locus sit articulo sexto quaerenti: Vtrum natura humana fuerit vnita Verbo Dei accidentaliter?

Forma Textus.

PRÆMISSA distinctione respondetur quaesito duabus Cõclusionibus. *Distinctio est:* Persona siue hypostasis Christi dupliciter potest considerari: Vno modo secundum illud quod in se est: Alio modo secundum rationem personæ vel hypostasis, ad quam pertinet subsistere in aliqua natura.

PRIMA CONCL. est: Persona Christi secundum quod in se est, est omnino simplex. Probatur; quia natura Verbi est omnino simplex; ergo.

SECUNDA CONCL. est: Persona Christi secundum rationem personæ vel hypostasis dicitur persona composita. Probatur: quia licet sit ibi vnum subsistens, est tamen ibi alia & alia ratio subsistendi; ergo est persona composita. Antecedens probatur; quia Persona Christi secundum rationem hypostasis subsistit in duabus naturis: Cõsequencia verò cū ipso cõsequente declaratur; quia sic vnum duobus subsistit, qui modus quidam est cõpositionis.

Expositio Textus.

IN hoc articulo tria sunt breuiter & quantum fieri poterit perspicue declaranda. Primum est distinctio personæ Christi, quem ait S. D. dupliciter posse considerari. Vno modo secundum quod in se est: Alio modo secundum rationem personæ vel hypostasis, in qua duo videntur obsecura: alterum est vnus ab altero mēbro differentia; alterum est ambiguitas sensus illorū verborū; secundum quod in se est: Et differentiam quidē siue distinctionem membrorum explicat accurate Caietanus, quē alij sequuntur expositores; quamuis Medina & Suarez illum immerito de superfluitate reprehendant. Distinguuntur igitur illa duo mēbra; quia personam tunc cõsideramus

Quæ sit sensus illius distinctionis: Persona Christi dupliciter potest considerari.